Quelle: https://manuscripta.at/?ID=908
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



Translatio sci nycolai.
Presule sublato sibi plagat terra myrensis
Ad se translato pie gaudeat aula varensis.

Gloriosa scorum merita dum pio ac frequenti studio recolunt a fidelibus ille proculdubio glorificatur in operibus eorum qui in sanctis suis predicatur gloriosus et mirabilis deus. Quapropter translationem beati nycolai que digne vertitur in memoriam omnium fideliter suscipiamus et quam toto pene mundo teste exprobatam esse novimus venerabiliter celebremus.

Est ergo varis Civitas apulie que dicitur una esse ex decem et viii provinciis ytalie. Quidam autem varensium illustres viri atque sapientes decreverunt causa mercationis cum tribus ratibus iunctis etiam sociorum xi. navibus oneratis frumento ceterisque mercibus anthiochyam pergere et hoc consilium merito divina ut creditur inspiratione. qualiter euntes sive redeuntes tollere possent corpus beatissimi nycolai de mirea civitate. tradentes se suaque periculo pro tali desiderio. Qui cum cognovissent socios qui erant ab aliis civitatibus velle idipsum facere et ferrea instrumenta ad hoc opus preparata habere. summo festinabant studio eos prevenire et sua interim negligentes negocia premiserunt ad rapiendum corpus beati nycolai xl. et vii. viros instructissimos armis simul atque fiducia ceteris qui remanserant non minus paratis vigilantia atque armorum instructione ad custodiendas naves